PÆAN TRIUMPHALIS

In secundam Inaugurationem Serenissimi nostri

PRINCIPIS

OLIVARI,

Ubi celebriores Terra Marique

VICTORIÆ

brevissimè perstringuntur.

Dedicatus Eminentissimo

CARDINALI

MAZARINO.

LONDINI,

Typis *Rogeri Danielis*, & venum prostant per *Edoardum Blackmoore* ad signum Angeli in Divi Pauli

Effigies eminentissimi **Iulij**

Is CARDINAL MAZARINE S.R.E.C.

Quem Sacra Septi-jugæ peperere Palatia **Romæ**:
Gallia *Sublimi Constituit Loco!*
Iuli *Sic Graderis; nec Climate Claderis vno;*
Arcta nimis Famæ Terra, vel vnda Tuæ.

P: *Piscator.*

PÆAN TRIUMPHALIS

In ſecundam Inaugurationem Sereniſſimi noſtri

PRINCIPIS

OLIVARI,

Ubi celebriores Terra Marique

VICTORIÆ

breviſſimè perſtringuntur.

Dedicatus Eminentiſſimo

CARDINALI

MAZARINO.

LONDINI,

Typis *Rogeri Danielis*, & venum proſtant per *Edoardum Blackmoore* ad ſignum Angeli in Divi Pauli

PÆAN TRIUMPHALIS

In Festivam Inaugurationem Serenissimi nupt.

PRINCIPIS

OLIVARI,

Ubi celebriores Terræ Marique

VICTORIÆ

Brevissimè perstringuntur.

Dedicatus Eminentissimo

CARDINALI

MAZARINO.

406 - 14

LONDINI,

Typis Regii Typogr. & veterum profan. per Rebertum

Blackmore ad Ignem Angeli in Divi Pauli

Indefesso Gallici Regiminis *Atlanti*; & *Achillis* Galliæ,
LUDOVICI decimiquarti,
Christianissimo *Chyroni*;

Amplissimoque sui nominis Exemplo, nostrique sæculi complemento,

IULIO MAZARINO

tam propter heroicas virtutes, quam *Natalium* prosapiam

ROMANO;

Eminentissimo, Eruditissimo

S. R. E.

CARDINALI;

Maximarum Rerum per Europam

MODERATORI;

Nec non munificentissimo literarum

MECOENATI, &c.

P. P. D. D. hunc Inauguralem PÆANA
Serenissimi Principis

OLIVARII.

Diu tuorum vocalis Fama suasit virtutum (Cardinalis Eminentißime) & nonnullorum tandem vicit authoritas ut hunc Pæana *triumphalem vestri nominis immortalitati consecrarem. Heroicum & vægrande est argumentum, & dignum sane quod tanto nomini inscribatur. Ad quem enim Musæ confugerent nisi* Te *cujus Domus Disciplinæ Delubrum est; Consilii oraculum,* Lycæum *literarum? Sic enim* Palladis, *&* Martis

artes hactenus dissociabiles conjunxisti, & ad unum redegisti divorsorium, *ut inquilinas appellare nemo dubitaverit. Sic itidem Principis & Patriotæ muniis perfunctus es, ut ad utrumque nasci videaris.*

Hinc est (Eminentissime MAZARINE) *quod Illustriores* Galliæ *Proceres tuam obnixius ambiant amicitiam, sollicitent amorem, & arctissimo affinitatis nexu ferruminari Tibi moliantur. Nec certe mirum est, cum Tu primores non modo Eminentiæ sed meritorum dignitate tot parasangis præcesseris, ut cum sis magnus, idem & optimus jure audias; unde fit ut plurimi vereantur Te propter Potestatem, ament vero propter virtutem. In summa, eam laudem Rectoris intelligis apprime propriam maximum esse se quasi nescire, optimum vero esse oportere se semper meminisse. O fælicem* Galliam *tali Ministro! ô fælicem* Ministrum *tali Magistratu! Et quis satis prædicabit quæ gesseris tali quam dignissima Magistratu? Induebas* Palladis *Parmam, ut communi Paci patrocineris, Tui nusquam profusior sanguinis, quam parcior alieni.* Atlantem *suum jactitent antiqui cœlum suffulcientem: Illum magnum* Richeleiu *Galliæ molem consiliis sustentantem nupera viderunt secula; præsentia* Te *succedaneum viderunt* Alcyden *Qui Galliarum corruiturum Statum humeris plusquam Gigantæis excepisti, collibrasti. Hinc Dynastæ Tibi tantæ molem obtrusserunt Præfecturæ, quia nôrunt robur ad ferendum; Existimantes nimirum in sudo Te fidissimum fore Patronum quem dexterrimum tot tempestatibus experti sunt* Palinurum. *Et quis certe*

Regen-

Regendi mysteriis instructior evasit, cujus pectore tot eminentes dotes veluti in centro cumulatissime conglobatæ, ut in aliis quæ tantum singulæ fuerint, in Teipso certe singulares. Authoritate Princeps; officio servus; comitate civis; vigilantia miles; virtute victor; Pater indulgentia. Quid loquar patientissimas aures queremoniis apertas supplicantium? Quid magnificentiam mentis, hinc Parisiis, *illinc* Romæ *tot magnificis attollendis ædibus? Quid munificentiam manuum pauperum necessitatibus administrantium? Quid denique misericordiam supra Justitiam triumphantem, cujus tot orbi specimina exhibuisti, ut sane dubium sit an plures ferro vicisti, vel devinxisti Beneficiis.*

I magnus Europæ stupor, & sub fælicissimis auspiciis prograediatur ille, sui seculi deliciæ LUDOVICUS, & Galliarum

ultra Garamantas *&* Indos

Proferat Imperium.

Et Tu interea sinas has hederas proserpere inter laureatos Eminentiæ *vestræ triumphos. Quod si dignabere, ingentes addes animos majus opus aggressuro, Tuumque nomen per terrarum orbem ebuccinaturo*

Eminentiæ Tuæ

cultori quam humillimo

PAYNÆO PISCATORI.

PÆAN TRIUMPHALIS

Ob Inaugurationem ſecundam Iunii 26° MDC LVII

Quum Sereniſſimus, Invictiſſimus

PRINCEPS

OLIVARUS,

Supremum Caput ANG. SCOT. HIB. cum Territoriis ubivis & Ditionibus, &c. Annuente magno trium Nationum *Parlamento*; *Satrapis*, & illuſtribus Curiarum *Iudicibus* coaſſiſtentibus; *Strategis*, & *Chiliarchis* Succenturiatis;

Dom. *Prætore* Lond. unà cum *Decurionibus*, & *Primoribus* totius urbis circumſtantibus;

Per *Fecialem*, cum Tubis in aula magna *Weſtmonaſterienſi*, vociferis & votivis acclamationibus Populi, prædictarum Ditionum

PROTECTOR

publicè pronuntiaretur.

SCande triumphales rectrix *ALBAULA* Curules
Auſpiciis fruitura novis, trabeiſque videnda
Celſior, & ſolito longè conſpectior Oſtro.
Summe Pater! Quæ thura *Tibi*, quæ ſerta feremus,

Qui

Qui grave ſtelliferi ſolium moderaris Olympi,
Terrarumque vices, & quicquid *Nereüs* ambit;
Quique tremendorum (concuſſo Cardine rerum)
Fata redordiris Regum, nativaque tandem
Nativos ad Regna vocas; ut ſentiat *Anglus*,
Utque *Caledonii* noſcant Sacraria *Sconi*
Sceptriferis quæ meta ſuis, tandemque reponi
Tutius antiquo redeuntia Sceptra *BRITANNO*.
O Cœlo ſacranda Dies, Solamina Gentis
In noſtræ promiſſa diu! Regina dierum
Eſto, ſupercilio nimboſque & nubila tergens,
Sparge repentinas per noſtra Crepuſcula flammas;
Sparge Faces, Radiiſque *Tuos* fœlicibus imple:
Eſto Feſta Dies, memorabilis Idubus eſto
Brutigenis, vel ſola novas factura Calendas.

Quis mihi *Caſtalias* lymphas, tacitoſque recludet
Æonidum latices? tumidum *Mæonidis* œſtro
Quis Genium *Thymbræus* aget, ſitibundave dudum
Noſtra *Caballino* ſaturabit Pectora ſucco?
Dum Tibi perpetuos *OLIVARE* illuſtris honores
Muſa Canora ſonet, laudeſque in ſecula victrix
Buccinet, & pleno tollat Præconia plauſtro.
Tunc faciles in Cœpta novem fluxere ſorores,
Et Muſis patuere adytus, quum Carmine Præco
Grandiloquus veſtras *Stylico* ſuper æthera laudes

Extulerat; *Geticis* cùm Conſul *Honorius* armis,
Mallius aut reducem pompis ſolennibus annum
Induerant; quis vatè prior fulgentia Roſtra
Clariùs intravit, paribuſve furoribus actus
Annua Sceptriferi celebravit Feſta *Probini*,
Biſque triumphati trabeas cantavit *Olybri*?
Hæc priſci cecinere Patres; ſed noſtra *Thalia*
Majus opus, meliuſque movet; de Cardine Mundi
Nempe alio mihi *Conſul* adeſt; mihi *Mallius* alter;
Alter adeſt *Stylico*; Cui, ſecula nulla ſtupendis
Conſiliis, vel Marte parem peperere, ſepulti
Ingens Fama licèt referaret Marmora ſæcli;
Totaque Romuleos aperiret Terra Triumphos.
Mira quidem, ſed vera loquor: Majora Poetæ
Multaque dum fingunt, ſunt hæc Majora Poetis.
Nec fas eſt titubare Fidem, modo ſtrictiùs *Actus*
Præteritos, primæque notes molimina *Scenæ*.

Siſte *Thalia* pedem, ſiſte, & penetralia rerum
Diſcute, & in primos mecum deſcende labores:
Secula quis rectè dudum fatalia volvens
Bellica, cùm *Britonum* rabies de more repreſſi
Gurgitis, (effuſis latè circumflua clauſtris
Stagnanti patrias operiret ſanguine terras)
Attonita non mente cadat? Quis talia fando
Temperet à gemitu, lachrymiſque abſiſtat abortis?

Anglorum ſtatus ille fuit lachrymabilis, ex quo
Diviſæ fremuere Domus, laceraſque per ædes
Ardebat Civile nefas, & tota Cadavera
Anglia viſa ſuum, proprioque ſepulta jacebat
Pulvere, poſt tantos vix agnoſcenda tumultus.
Anglorum ſtatus ille fuit lachrymabilis, ex quo
Gentis magna Cohors, ad longum accita Senatum
Longùm ſedit iners, noſtræque incendia *Trojæ*,
Bellaque proh decimum miſerè produxit in annum:
A Quorum dubiis (abſint dicteria) votis
Quis non horreret redivivi Semina Belli,
Turbatumque *Chaos*, & retro cuncta referri
Crederet! Illa Cohors ſolito ſi more teneret
Culmen, & *Angliacis* aſpiraviſſet habenis?
His nuper Concuſſa Notis, tria Regna ruiſſent
Naufragium ſubitura novum, moderamina Clavi
Deſerti, laceramque Ratem Rectoris egentem
Liquiſſet tumidis ſi tum *Palinurus* in undis.
Sed Tu Chare *Pater* miſerando in turbine rerum
Grande Gubernâclum repetis, ſolitaque futuros
Propellis ratione metus; Tu Corpora *Membris*
Membraque *Corporibus* ſocias, & Fœdera ſancis
Firma vacillanti populo, mirabile ſudum
Telluri, Pelagoque ferens: ſic imbre madentes
Tandem poſt *Hyadas*, & opaci vellera nimbi

Emicat, & lætum retegit pater aureus orbem.
Surge *Pater* populi, longéque ſedentibus umbris
Sis *Britonum* Solare jubar, noſcantque remoti
Quantum equidem ſpes noſtra Tuo luſtrata reluxit
Introitu, Qui poſt tanti diſpendia Belli
Antiquas gaudes Patriæ reparare ruinas;
Vulneribuſque novam labefactæ reddere formam.
Scilicet hos Requies fructus, Paciſque fatemur
Auguriis *OLIVARE* Tuis; Quo *Conſule*, Mavors
Occluſit bifidi fatalia limina *Jani*,
Et trux vulnificos fregit *Bellona* Bipennes
Mitis, & agreſtes Ferrum migravit in uſus.
Te Duce, diſtento gliſcet Concordia cornu;
Rorabunt Fruticeta favis; *Britonumque* per oras,
Mellea lactifluos fundent mulctralia rivos.
Te Duce, Relligio ceù prægnans palma virebit,
Expandetque ſacros porrecto ſtipite ramos
Longa ſalutiferos mittens trans æquora fructus.
Nam procul, ad vultus venerandos *Dagonis* inſtar
Sectarum ſimulachra cadent, ibuntque retrorſum
Dogmata ad antiquum properè detruſa Barathrum,
Quæque polycephalis repſerunt Schiſmata turmis.
Illa * *Monaſteriis* ſtabit pulcherrima moles
Te Duce, perſtabit ſolitis *Eccleſia* clauſtris
In ſcopuli morem, ringentibus undique ſectis,

* *Vulgo Mi-ſters.*

Cassaque Kirkicolo circumlatrante popello.
Nam *Tu* præsidium Doctis, Columenque sacratis
Nobile *Academiis* surges, Legumque peritis
Immotum munimen eris, licet improbus Ora
Solvat, & explosis ructet convitia buccis.
Sed furor ille brevis vacuas vanescet in auras,
Et demum pertæsa suæ, conamina vana
Sentiet impietas, propriisque refixa sagittis
Decidet infectis Rabies petulantior ausis.
Flaccescent simili Populares lege tumultus;
Frustrà centeno circundata Bellua collo
Seditio vesana fremet; ventosaque dudum
Cœpta reformidans, technas damnabit inanes
CAROLIDUM generosa cohors, tandemq; quiescet
Præscia sufflatos sibi nil prodesse furores.
Tum licet invito Tua Facta fatebitur ore
Invidiæ maledicta lues, & lurida famæ
Latratrix, validisque Comes *Detractio* gestis
Hydra retundetur, vulsisque venefica linguis,
Spicula sublato prætendet vana veneno.
Sic Pater *Herculeæ* renovas miracula Clavæ,
Sive domi streperos in cunis supprimis angues,
Et male serpentes quassas in cortice motus;
Ceù majora foràs forsan mactanda recumbent
Ante Tuos Portenta pedes. Sic stellifer *Arge*

Invigilas noſtris, menſque indefeſſa moratur
Finibus Europæ, mundique per ultima fertur;
Et longum ventura videt. Stratagemata Regum
Tu celer anticipas, Conjurantumque fodinas
Eruis, excuſſiſque apertis penetralia fibris.
Tu benè finitimi nôſti molimina *Gracchi*,
Quidve ferox *Catalina* ciet, Facinuſque *Cethegi*
Vix malè conceptum, primis intercipis orſis.
Neſcio quid primùm mirer, quod flamina Regni
Straveris, & placidis Curſum direxeris *Anglis*;
Quod nihil in tanta rerum formidine *Temet*
Feceris indignum, ſed tunc quum regna tumultu
Extera flagrarent, aderas æquiſſimus ipſis
Arbiter, accenſas cupidus reſtinguere flammas.
Euge! *Reformati* nate in Solamina Mundi!
Tantarum largitor opum! Qui vincis amicos
Muneribus, meritiſque fidem! Te longa loquetur
Pagina, & extremis nomen cantabitur oris,
Dum pater Oceanus rapido circumfluat *Anglos*
Gurgite, fraterno vel lumina ſumat ab aſtro
Mutua Cornigeræ Sydus reparabile Lunæ.

* *Anglia* ſed primùm tantos mirabitur actus
Vulneribus defenſa Tuis; Salva *Anglia* Tete
Vindice, & à rapidis toties erepta ruinis.
O quoties *OLIVARE* Togæ ſtudioſior, arma

* *Incredibi Succeſſus, victoria p Angliam.*

Geſſe-

Gesseris invitus, mærensque adversa tulisti
Funera, & in medio flevit clementia Ferro!
Proh mitis Ductor, facilisque in crimina victor,
Qui, quos bellipotens poteras punire magister,
Flexisti ratione, Pater! Cataplasma chirurgus
Sic crudis dat mite malis, mollesque medelas
Applicat, extremo timidus rescindere cultro,
Donec tota lues sensim gressetur in artus,
Sanaque suffuso populetur membra veneno.
O quoties *Cœlo* Superisque faventibus astris
Agmina *CAROLIDVM*, subversis undique signis
Fudisti Victor! Quorum tot Funera stabunt
Tot Famæ Monumenta Tuæ, Monumenta Tropæis
Æmula *Niliacis*, quamvis *Mausole* superbum,
Pyramidumque trucem minitantem Sydera molem
Tollat, & immensi jactet miracula mundi.
Signabunt Exempla Fidem, totiesque probatas
Centeno sub Teste manus, quas *Kainton*, & extrà
Cambria victrices stupuit, longumque stupebit
Fulmina posteritas, seù *Lincolnensibus* oris,
Aut vestris *Naisbæe* plagis Bellator anhelo
Ingruerat Cataphractus Equo; vel Castra Gradivi,
Et Peditum curârat opus; Quo judice, cinctis
Contigit Obsidio quoties, admotaque muris
Machina flammivomo longè metuenda metallo

Intonuit, rapido prorumpens obvia Ferro?
Te Fortunatum quoties *Cornubia* vidit
Et *Somerſetti*, fæcundaque *Devonis* arva;
Et *Durotriges*, Genus in ſua fata cientes
Ruricolum, qua *Sturus* agros irrorat, & alti
Culmen *Hamiltonii* vicino jungitur *Hoddo*.
Hamptonium Tibi teſtis erit qua Fragmina ſurgunt
Baſſingæ miſeranda Domûs. *Neoburgia* nomen
Horret, & exertos eheu reminiſcitur enſes
Eboracum, *MARSTON*q; potens, cui longius arva
Tecta cadaveribus, Buſtiſque tumentia, proſtant
Victorum monumenta Ducum. Tua Geſta loquetur
Fuſiùs, & Palmis junget *Lancaſtria* Palmas,
Aulaque *Præſtonicis* dudùm decorata Tropæis,
Cùm vaga finitimæ vomuerunt prælia ripæ,
*Tueda*que lethiferos in nos transfuderat hoſtes.
O Dux *Angliacis* toties ſpectabilis oris,
Et ſupero ſervate *DEO*! Tentoria cujus
Circumfuſa palam radiantia Sydera noctu,
Excubias poſuere ſuas, & luce, viciſſim,
Aurea pennatis ſtipârunt agmina Turmis;
Sive *Vigorniacis* moliris Funera; ſive
Northumbros popularis agros, ut utrumque *Trionis*
Sydus, & *Occidui*, Te fuſis ambiat alis
Victorem, geminoſque ſimul contingeret axes

CROMELICÆ virtutis apex; Quid plura? quid istis
Immemor? *Herculeos* nam tot recitare labores
Herculeus labor alter erit, Quibus impar, avenâ
Dum conor gracili, videor superaddere Guttas
Oceano, nitidoque facem protendere *Phœbo.*

* *Expeditio per Hiberniam.*

Sed non nostra Tuas Regio (Celsissime) laurus,
Una nec ambibit tantum decus Insula; famæ
Stat Tellus nimis arcta tuæ, trans æquora Turmas
Dum vehis, inque alios ruis implacabilis hostes.
Ergo Hyemes Bellare doces, adversaque sulcas
Cærula, & invitis obtrudis Carbasa ventis.
Puppibus obruitur Pelagus, vexillaque longe
Ogygiæ videre plagæ; trepidavit *Ierna*
Hospitibus turbata novis, cædisque tot olim
Conscia, par viduæ, squallenti pulvere sedit
Effusis laniata Comis. Tunc *Barbiton* excors
Et lyra rauciſonans tacuit, cunctasque per ædes
Audita est Tuba bellipotens, & Tympana mæstos
Sulta ciere sonos, quales lugubre Feretrum
Et devastatæ decuerunt Funera terræ.
En dux martipotens millenis cinctus ab armis
Subsidio munitus adest, morbique misertus,
Tempestiva refert miseræ medicamina Genti.
Ipsæ Lyræ mutas concinnas pollice chordas,
Et modulo meliore reples, ut *Jubila* avita,

Et lætum *Pæana* canat, victoria qualem
Poſtulat, & nuper parti monuere triumphi.
Hinc Rerum qualis Facies! mutatus ab ipſo
Qualis *Hibernus* erat! vivus color urbibus ægris
Crevit, & admiſſo nubes cecidere ſereno.
Dublinum perſenſit opem, nitidiſſima ſedes
Ogygiis Regina plagis; *Connaccia* ſenſit
Nativis fruitura ſuis; populóſaque pubo
Memnia, fœcundæ ter fœlix mater *Iernæ*
Obvia præda diu, multiſque amplexa lacertis,
Hoſtiles exuta toros, veteresque rapinas
Virginis intactæ veluti, formoſius ibat
Flavis cincta comis, expectatura maritum,
Aut alios viſura Procos. *Ultonia* dudum
Pæne ſuis tumulata malis reſurrexit ab umbris,
Lætior excipiens reduces poſt nubila mœſta
Angligenas, olim, raptos transferre Penates
Compulſos, Patriæque procul deflere cadaver.
O quam compoſitæ pax confirmatur *Iernæ*
Introitu *Polemarche* Tuo. Quo vindice ſoſpes
Crevit, & emerſit medio rediviva ſepulchro.
O caput innumeris menſque objectata procellis!
Quis *Briareus* poterat tantis confligere rebus,
Centenâ *Fiareuſus* manu? nec meta *labori*,
Mavorti nec finis adeſt; crevere tumultus;

Fluctibus ingruerant fluctus; alibique relectis
Protuberâre novæ reparatæ cladibus *Hydræ*.
Mox debellatæ vix dum pacantur *Iernæ*.
Expeditio in Scotiam.
Sydera, quam *Camber*, nec non numerosus *Hamilton*
Captivus, paribus subiTe cecidere triumphis.
Ergo serenatos ut fixâ pace *Britannos*
Consolides, propriisque abigas incendia tectis,
Belligerum moliris iter, Martemque rependens.
Marte, *CALEDONIIS* graderis metuendus in oris,
Anticipans levitate Notos, currusque volantis
Oenomai; tremuere jugis sublimia magni
Culmina *Penclandi*, *Britonum* diducta cadurca,
Atque novum vidisse nemus, nulloque serente,
Jugera Fraxineos circumfudentia saltus.
Dicite terrores quos inculcaverat hosti
Dunbarri vicina Dies, lachrymabilis illis
Gentibus atra Dies, & quidni nomine noctis
Agnoscenda nigri? quæ tot nigrantibus umbris
Reddidit, æterno componens lumina somno.
Perpetua Res digna Fide! vaga millia vulgi
Captivi, vicere oculos, & strage stupenda
Tot sine lege Duces milesque Gregarius æquo
Funere, *CROMELICO* cecidere piacula Ferro.
Quis Tibi mox rabies, & anheli pectoris horror
Musleborrhe fuit lituos audire propinquos,

Strataque finitimis vidiſſe cadavera campis.
Tum caput attonito condebat *Fortha* Profundo,
Plorabas & *Letha* domi, cùm milite montes
Arthuri fremerent, nec *Edeni* nobile *Burgum*
Abſtinuit lachrymis ubi verſis Victor habenis
Ingruerat, fuſis *Arcemque* umbraverat alis.
Indomitæ virtutis opus! Te nulla retardant
Clauſtra, nec obſtantes ſcopuli; nil dira *Decembris*
Flamina, nil *ſeptem* Tu ſydera ſæva *Trionum*
Imbriferis ſociata Notis nimboſve moraris.
Fervet opus frigente Polo; dum caſtra Pruinis
Tolluntur, mediaque rigent Tentoria Rupe.
Auſpiciis *his* victor ovas, *hoc* conficis *Apros*
Marte *Caledonios*, & eodem Marte *Pythones*
Pictigenas OLIVARE fodis, ſive alter Apollo,
Sive alter *Meleager* eras. Nec ſiſtitur ingens
Impetus, extremam potârunt agmina *Thulen*,
Armaque Belligeri viderunt *Orcades* Angli;
Et *loca* quà humanis deſunt veſtigia plantis
Victrices mirata manus, docuereque dudum
Montanis quam parva *Salus*, cùm ſanguine tinctæ
Albanæ rubuere nives, & molliùs ipſis
Indigenis flevit tepido *Argathelia* rore.
Deſcivere caſis *Pictæ*, ſtupuitque *Loguhabber*:
Nil clauſtris *Cantire* tuis, nil profuit hoſti

Munitis hæsisse locis, spes irrita *Mullæ*
Ivit, & armisonis scopuli cecidere procellis.
En Tibi tantorum est operosus testis honorum
Invernessa potens! Qua, nuper Pelion *Ossæ*
Additur, & Turres, & saxa minantia saxis:
Illa Tuum decus, & crescentia nomina tollet
Aëriis æquanda jugis, ut sæcula vastas
Mirentur ventura trabes, & jure salutent
Te *Fundatorem* tanti molimina *Castri*
*Nec satis ad vestros prostant *Tria Regna* triumphos;
Nam ne sola Tuo frueretur *Terra* labore,
Æquor adest, sociisque comes adsciscitur actis.
Agnovere Tuum nostræ *Nereïdes* undis
Auxilium, *Briticumque* diu te vindice *Dunum*;
Longius *undivagi*, superata Classe, *Coloni*
Belligeras sensere Rates, sensere, coacti
Ad nutus venisse novos, positoque *Tridentis*
Jure, Maris *Dominos* tandem coluisse *Britannos*.
Quid loquar æquoreas Acies, validasque Carinas,
Cum procul Oceano tot Rostra micantia Rostris,
Turritæque Trabes, & lignea castra *natabant*,
Passaque seclusum nigrârunt Carbasa Solem?
Indoluit Natura Parens vidisse tot ornos
Indigenis migrâsse jugis; contracta timebant
Æquora squamigeræ Gentes; mirataque *Nereus*

opugnaculum ximum sub bern. Coll. chæi.

Expeditio- in mariti- s.

Tot ſylvas, ſaltuſque vago fluitare Profundo.
Vicino ſtupefacte malo mox *Albion* inſons
Mærebas, motique pari formidine Cives;
Inſtabas Pharetrate Tuis cum *Belge* * ſagittis;
Et formidandi Roſtris fremuere *Leones*,
Raucaque *Dovaricis* mugibant Fulmina Portis.
Tum *Pater* in tanti miſerando turbine cœpti
Conſiliis, opibuſque aderas, ſtipendia Nautis
Mandato crevere Tuo; ſuadente * *Petreio*
Præmia viridico, Ductoribus aurea Dona
Vel meriti pro more dabas. Sic judice ferro
Anglorum Fortuna ſtetit; ſic vindice ferro
Adverſi cecidere Duces, cum littora *Flandris*,
Et *Morinum* rubuere ſinus, ruit ebria *Thetis*,
Humano temulenta mero, ſtupuitque *vorago*
Gooduini, & geminis *Corumbia* nota Columnis.
Sic *OLIVARE* Tuos crebris Succeſſibus *Anglos*
Maxime circumagis, dum cœpta puerpera cœptis
Prole Nova cumulas, tot terrarumque Tropæis
Adjicis immenſi ſpatioſa volumina Ponti
Prodigus, Angligenis victrix ut adorea paſſim
Pullulet, & *Britico* ſylveſcant ſerta Profundo.

Euge Triumphator terræ, domitorque Tyranni
Euge tridentiferi! geminâ luſtrande coronâ.
Tota vetuſtorum ſileant deliria Regum,

* *Inſignia Gentilitia.*

* *Innuit Hugonem Petreium maximam componendis motibus optatam navanti &c.*

Nec

Nec ſic *Argolicas* oſtentet *Græcia* claſſes,
Aut *Xerxen* tumidis umbrantem cærula velis,
Et procul *Ægæo* minitantem vincla Profundo.
Ite *Lepantinæ* victæque faceſſite Palmæ,
Cumque novis veteres tandem decedite laurûs.
Objicit *Alcidis* quid Garrula fama labores?
Hic *Terræ* metas dedit, at gravioribus auſis
Fixit *OLIVARVS* Patrii confinia *Ponti*.
Cui patet immenſum Pelagus, cui claſſis & unda,
Et conjurati coëunt in ſuppara venti.
En priſcis diffiſus aquis Diadema vetuſtum
Neptunus ſubmittit ovans, grandævaque grates
Amphitrite canit quòd tandem vindice tanto
Stent ſolitis ſua jura vadis; glomerantur in unum
Concilium Pelagi cives, atque agmine longo
Obvia ſquamigeris plaudit Plebecula pinnis.
Tota *Palæmoniis* deſcendit Turba Coronis
Induciis *OLIVARE* novis; *Popularia* clauſtris
Flumina prorumpunt patulis, Nymphæque videndi
Te cupidæ, ſolitis gaudent ſe jungere tectis.
Exuit Heſternas Borealis *Fortha* procellas
Pacatum viſura Ducem, placidumque ſuſurrans
Littus inoffenſum lavat, & ceù mollia captet
Oſcula ludentes in margine lubricat undas.
Tava maritales *Nidſo* conjungit amores;

Et pater in Britici nova connubialia sceptri
Humber ovans Hymenæus adest lætasque lacunas,
Et famulatrices socians in cœpta sorores
Saltibus erigitur, lapsosque reciprocat æstus.
Squamea fœcundi coëunt Examina *Trenti*
Vicinis excita Tubis; nimphasque tot inter
Lætitæ torrente ruit spumantius *Ouza*
Mutatis in vina vadis, quod libera tandem
Illa per anfractus tantos, cœcosque meatus
Huntingdune tuas revoluto Gurgite Turres
Circumagit, Patriique videt cunabula sceptri.
Nec satis est creviſſe Domi; nec cingeris ingens
Angliacis *OLIVARE* vadis; Tua gloria metas
Spernit, *Atlantæos* penetrans fulgore receſſus.
Vos Quæ longinquis Fontes deducitis oris
Flumina, vos Britticis latices sociate Tropæis;
Huc laudum cataclysmus eat, limphæque ferantur,
Grataque morigeris accedant flumina nimphis
Oceano reditura suo, & Tibi maxime *Princeps*
Vectigal de Jure ferant, de Jure Tributum.
Te procul *Euphrates*, & cum *Gangetide* Tygris
*Eridanus*que colat nec non extremus *Araxis*.
Cernis ut *Europæ* Gentes, & gurgite laxo
In Tua finitimæ migrarunt fœdera ripæ
Alterno conjuncta jugo. Te *Mosa* citatis,

Et *Scalde* veneratur aquis; Te *Rhenus*, & ingens
Adria sollicitat votis: *Sabrina* Garumnæ
Oscula conjunxit sociæ, *Ligerisque* Thamesi.
Accessit *Rhodanus*, propriis nec sequana ripis
Clausa, triumphales *Trenobantum* circuit arcus.
Sic gressus quocunque moves fortissime *Rector*
Terrarum, pelagique *Stupor*, Tibi plaudit eunti
Fælix Fama comes, famulisque pedissequa plantis
Antevolat, sequiturque vagos victoria currus.
Cernis ut aëriæ claustris sublimibus *Alpes*
Subsident pacemque suo de more reposcunt
Allobroges, Trecæque truces, communia firmant
Fœdera *Suissiones*, Queis mos per sæcula Regum
Borbonidum stipare. Latus, limenque tueri.
Quid loquar attonitum *Britonum* successibus orbem,
Et Tecum missos ineuntes Pacta Ministros?
Publica Res *Genoæ*, nec non *Lusitanica* longè
Sydera, communem tecum testantur amorem.
Et *Tagus*, auratisque fluens *Pactolus* arenis.
Et Te pacificum magna *Elzinora* salutat,
Cymbriaci *Regina* sali, tantoque *Statori*
Baltica nimbosos submittunt æquora lauros.
Auspiciis * *Bulstrode* Tuis per sæcula Pacem
Disset, & unanimes *Gothus* mirabitur Anglos;
Eloquioque Tuo quantum se *Suecia* debet

Innuit illu-ssimum m. Bulstro-m Whitlock, *oum longe ditissimum, e bellique ibus instru-ssimum*, &c.

Agnoſcet, Grateſque Tibi *Legat* reponet
Carolus arctoi lumen mirabile ſceptri.
Sic *Bulſtrode* animi præſtans molimina rerum
Corde geris, callens quam damnoſiſſima Regum
Bella forent, Paciſque tenax pia Fœdera pangis
Ne pluvias agerent *auſtri*, ne frigora *Cauri*,
Vel ſeptem rigido fremerent *Aquilone* Trionos.
Auditis, his Regna tremant inimica, ſuperbus
Quique negat Britonum Fœdus, jaculabile Fulmen
Sentiat, ut celſum inclinet *Teneriffa* cacumen;
Vanaque quem fuerint *Flandri* molimina tandem
Convictus fateatur *Iber* temerarius armis
Si ruat inveritis, & noſtros Marte laceſſat.
Sique laceſſendi Britones fiducia gliſcat,
Verſa ſolo, veſtris accedat victa Triumphis
Auſtriadum memoranda Domus; *Bifidæque* revulſas
Submittent *Aquilæ* Plumas, calamoſque refundent
Grande quibus nomen ſurſum ſuper æthera ſurgat,
Scriptaque *CROMELICIS* centena volumina geſtis
Vulgatis trepidum feriant annalibus orbem.
Nempe ubi Belligeri nomen recitabitur Angli
Quidve ſolo, fecitque ſalo fortiſſima virtus
Gens forſan *Saracena* fremet, trepiduſque Futuri
Ille Tyrannorum turbata Fronte Tyrannus
Stabit, & *Æmoniæ* pallebunt cornua Lunæ.

Tartarus impoſito ſubmittet colla lupato,
Cumque ſuo *Ruſſo* concretus frigore *Moſchus*
Nativos fugient nidos, tandemque liquebunt
Ad radios *OLIVARE* Tuos, cum Jura *Polonus*
Amplexus Britonum feret, & *Sarmatia* Braccas
Exuet, & nitidi cultus imitabitur Angli.
Sic ferro penetrabis iter, perque ardua quæque
Reſcindes virtute viam, nec ſola patebit
Conſiliis *Europa* piis, ſed latius ibit
Nomen *OLIVARI*, qua ſol devexior actos
Condit equos, validos qua *Tellus-virginia* Anglos,
Quaque laboriferas vidit *Bermuda* Britannos.
Gens dilecta *DEO*, Gens ſervantiſſimi recti
Mox *Nova* Fraterno gratabitur *Anglia* Regno,
Agnoſcetque ſuos duplicato fœnore ab enſe
Proventus coepiſſe Tuos; Quo vindice, fælix
Accola *Barbadoes* cum Portis Pectora pandet,
Terraque *Chriſtopheri* gliſcet, poſitoque timore
Fida per extremas peraget commercia terras,
Nullaque *CROMELICI* noſcet confinia Sceptri.
Hæc ego vaticinor. Quis enim cognoverit oras
Aut alias quas fulcet aquas validiſſima claſſis
Fæta armis & fæta viris tractantibus arma
Aut aliàs quo tendat ovans exercitus ille
Sub Ductu *Brianæe* Tuo, Quo ſoſpite, metas

Diſtendet miles, totieſque exploſa cachinnis
Attollet *Jamaica* caput, Trabeiſque ſuperba
Inter præcipuas ibit ſpectabilis urbes.
Nubilus occiduo tum ſol decedet Olympo,
Et tumidos titulos & inanis nominis umbras
Obſcurus deponet *Iber*; cum Cæſare *Saxo*
Dividet Imperium, nec ſe jactabit *Hiator*
Syderis Occidui *Dominum*, cum forte videbit
Rivales ſocio Dominantes orbe *Britannos*.
O quam venturo gaudebit vindice pubes
Indica, Saxonicam cum poſt tot ſæcula Gentem
Viderit ultricem cladum? Quæ jubila fundet
Barbaricis ululata ſonis, vetereſque catenas
Excutiet, plaudetque novo fruitura Patrono.
Longinquæ Regina plagæ mox *Mexico* mater
Triſtior atratos viduarum ſumet amictus,
Pignoribus privata ſuis, nec *Diva Dominge*
Sicca genis, capti ſpectabis Fata popelli
Nam longum terrore tubæ Briticique Tridentis
Fulmine, ſpeluncis prodibit mitior *Indus*
Angliadum poſitis admittens jura Pharetris,
Æthiopumque Genus piceas nigredinis umbras
Exuet, attonitumque metu palleſcere diſcet.
Tum *Cuba* cum populis, & ſe ſubmittet *Havanna*,
Illaque Fumiferi populoſa colonia Pæti.

Sponte metalliferis *Potosia* victa Fodinis
In Tua depositas fundet Sacchara Gazas.
Tota peregrino ditabitur Anglia Fœco,
Cum Tu Brutigenis caput insuperabile Regnis
Terrarum tot opus, & vectigalia mundi
In nova ceu *Decimum* deduces Horrea culmum,
Falcifero Mavorte metens, tandemque Tropæis
Mille repertatis, gemino dominaberis *Indo*.

FINIS.

14 leaves beside portrait